

Ad illud autem, quod Calvinus objicit ex cap. xv. et xxii. Geneseos, facilis est responsio, Deus enim voluit, semen Abrahamæ multiplicare sicut stellas cœli, et simul voluit, ut donum illud Abraham bonis operibus promereretur, quemadmodum etiam postea voluit, ut Isaac precibus impetraret filios, quos tamen idem Deus ante promiserat, voluit enim dare, sed per meritum precum ejus. Sicut etiam omnes electos Deus prædestinavit ad gloriam, et tamen vult, ut ad eam per bona opera, meritaque perveniant. Itaque ex eo, quod Deus absolute promisit Abrahamæ multiplicationem posteritatis, non sequitur, ut Abraham eam non vere meruerit; immo sequitur, ut meruerit, cum Deus per ejusmodi medium promissionem suam implere decreverit.

Quartum argumentum sumitur ab illis testimoniis, ubi præmium bonis operibus ex justitia dicitur esse reddendum. Ut II ad Thessalon. II. *Gloriamur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justii judicii Dei.* Et infra: *Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem his, qui vos tribulant, et vobis, qui tribulamini requiem nobiscum* II ad Timoth. IV. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ad Hebr. VI. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Jac. I. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Apocalyp. II. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Huc etiam pertinent illa: *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Proverb. XIX. *Et: Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite, ut comprehendatis.* I ad Corinth. IX. *Et: Certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem* (1). II ad Timoth. I. *Siquidem injuriam faceret, qui mutuum non redderet, vel bravium vincenti non daret, vel depositum non restitueret.* Hæc enim omnia justitiam includunt.

Respondet Calvinus ad primum testimonium, afflictiones justorum esse quasi notas, et stigmata quædam, quibus Christiani Christo similes efficiuntur, et illis insigniti digni

sunt, qui in regnum cœlorum admittantur, non propter meritum patientiæ, sed quia sunt veri Christiani, quod notæ, et stigmata illa testantur. Ad alia loca respondet, Scripturas ita loqui, ut hortentur homines ad opera bona.

Sed non solas notas esse veri Christiani, tribulationes patienter propter Christum toleratas, sed etiam vera merita, perspicuum est, quia quod solis notis respondet, non dicitur corona, bravium, et similia. Neque si essent opera illa solum notæ veri Christiani, diceretur Deus justo judicio, et ut justus judex præmia distribuere. Denique non diceret Apostolus, eadem justitia reddi a Deo tribulationem his, qui tribulant, et requiem his, qui tribulantur. Neque enim qui tribulant, et persequuntur Sanctos, ejusmodi impietate solum testantur, se veros non esse Christianos, sed vere ac proprie iram divinam in se provocant, et supplicia, pœnasque suis sceleribus debitas promerentur.

Quod autem Scriptura hortetur homines ad opera bona, verissimum est, sed illud etiam est verum, cohortationes divinas non habere officiosa mendacia, sed veritate esse plenissimas. Quare si Deus ut nos ad bona opera cohortetur, dicit, bene operantibus justo judicio reddendam esse coronam justitiæ, securi esse debemus, quia non fallit nos Deus, et sic ad bona opera excitari, ut simul credamus, bonis operibus ex justitia reddendam esse mercedem.

Quintum argumentum sumitur ex illis testimoniis, quæ docent, vitam æternam promissam esse operibus bonis, qualia sunt Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et ibidem. *Omnis qui reliquerit domum, vel patrem, etc., centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* I ad Timoth. IV. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futura.* Jacob. I. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (2). At promissio factacum conditione operis, non solum debitam facit rem promissam, qui enim promisit, ex justitia tenetur stare promissis; sed etiam facit, ut qui opus impleverit, meruisse rem promissam, eamque ut mercedem jurè suo exigere posse dicatur. Sed de hoc plura diximus in libro superiore.

Sextum argumentum sumitur ab illis lo-

(1) II Thess. I, 4; ibid. 6; II Tim. IV, 7; Heb. VI, 10; Jac. I, 12; Ap. II, 10; Prov. XIX, 17; I Cor. IX, 24; II Tim. I, 12. — (2) Mat. XIX, 17; ibid. 29; I Tim. IV, 8; Jaco. I, 12.

cis, in quibus fit mentio dignitatis. Nam (ut supra diximus, cap. 2.) dignum esse præmio, et mereri præmium, idem sunt, juxta illud Domini Luc. X. *Dignus est operarius mercede sua.* Sunt igitur hæc loca Sapient. III. *Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se.* Item. II ad Thessalon. I. *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo et patimini.* Luc. XX. *Qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis.* Apoc. III. *Ambulant mecum in albis, quia digni sunt* (1).

Neque his locis repugnat illud ad Roman. VIII. *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam* (2). Loquitur enim Apostolus de substantia ipsorum operum, non de proportione absoluta. Nam passionibus hujus temporis breves sunt, gloria illa æterna est, tamen proportio est inter has passionibus, et illam gloriam propter charitatis dignitatem, unde procedunt. Nam et Christi passio multo brevior fuit pœnis damnatorum sempiternis, et tamen propter dignitatem personæ patientis dignissima fuit, quæ pro illis pœnis justissime satisfaceret. Et delicia peccatorum incomparabiliter minores sunt tormentis gehennæ, et tamen propter contemptum Dei dignissima sunt, quæ illis suppliciis puniantur. Et semen multo est minus, quod ad molem attingit, ipsa arbore, et tamen proportio est inter semen, et arborem tanta, ut semini rite sato naturali quadam justitia arbor debeatur. Itaque beatus Paulus II ad Corinth. IV. dicit quidem, passionibus hujus temporis momentaneas et leves esse, si conferantur ad pondus æternæ gloriæ, quod expectamus, et tamen addit has ipsas momentaneas, levesque passionibus operari æternam gloriæ pondus, operari vero sine dubio intelligit non physice, sed moraliter, id est, non efficienter, sed meritorie; ac per hoc dignas esse, quibus gloria illa, quamvis maxima, et sempiterna, justo judicio tribuatur.

Septimum argumentum sumitur ab illis locis, ubi dicitur Deus Judex justus, et non acceptor personarum. Ut ad Roman. XXI. *Non est acceptio personarum apud Deum.* Ad Galat. II. *Deus personas non accipit.* I Pet. I. *Si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, etc.* Act. X. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptio apud Deum* (3).

(1) Luc. X, 7; Sap. III, 5; II Thess. I, 5; Luc. XX, 35; Ap. III, 4. — (2) Rom. VIII, 18. — (3) Rom. XXI, 11; Gal. II, 6; I Pet. I, 17; Act. X, 34.

At acceptio personarum est vitium contrarium justitiæ distributiæ, cum videlicet judex dat præmium sine meritis, aut majus præmium minoribus meritis, vel contra. Deus igitur in retributione præriorum merita hominum considerat, et pro meritorum diversitate vitæ æternæ mansiones assignat.

Itaque recte S. Augustinus in epist. 46. ad Valentinum: « Si non sunt merita, inquit, quomodo judicabit Deus hunc mundum »? proinde adversariorum hæresis, quæ tollit merita, tollit simul articulum fidei de judicio futuro.

CAPUT IV.

Idem probatur ex traditione Patrum.

Nunc addemus testimonia sanctorum Patrum. Ac ut a Græcis incipiamus, deinde ad Latinos veniamus.

Sanctus Ignatius in epist. ad Roman. « Sinite, inquit, me, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri ».

Sanctus Justinus in Apolog. 2. ant. med. « Homines, inquit, qui dignos se Dei voluntate, et consilio operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumpsimus, ac regnatos, sic ut ab omni interitu, perturbationeque sint liberi ».

S. Irenæus lib. IV. adversus hæreses, cap. 72. « Pretiosam, inquit, arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam, et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior ». Item cap. 44. probat meritum operum ex judicii forma, quæ describitur Matth. XXV.

Origines lib. II. in epist. ad Roman. explicans cap. 2. « Primo, inquit, excludantur hæretici, qui dicunt, animarum naturas bonas et malas, et audiant, quia non pro natura, sed pro meritis reddit Deus. Secundo ædificentur fideles, ne putent hoc solum sufficere, quod credunt, sed sciant, justum judicium Dei unicuique reddere secundum opera sua ». Vide etiam Clementem Alexand. Origenis præceptorem, lib. IV. Strom.

S. Basilius in lib. de Spiritu sancto, cap. 24. « Homo, inquit, ex operibus justitiæ salvatur ». Et oratione in initium Pro-

verb. « Omnes, inquit, qui per viam Evangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes ».

S. Joannes Chrysostomus homil. 4. de Lazaro, circa medium : « Si justus, inquit, est Deus, et his, et illis reddet pro meritis. Quod si et his, et illis rependet pro meritis ; hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis prœmia, perspicuum est, restare tempus aliud, in quo congruens prœmium horum uterque ferat ». Vide eundem homil. 42. in Genes. et homil. 43. in priorem ad Corinth.

S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Baptisma, extrema : « Crede, inquit, resurrectionem ; judicium, mercedem, ad justam Dei lancem exigendam ».

S. Gregorius Nyssenus orat. 1. de amandis pauperibus : « Denique, inquit, pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni, benignique fuerint, summa, et perpetua requies tribuitur in regno cœlesti, inhumanis autem, et improbis, supplicium ignis, idque sempiternum ».

Jam ex Latinis, Tertullianus in lib. de resurrectione carnis, ultra medium, tractans cap. xv. prioris ad Corinth. « Ordo, inquit, meritorum, dispositorum nomine disponetur : merita autem cum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, ut possit esse meritorum ».

S. Cyprianus in libro de Simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ, ultra medium : « Justitia, inquit, opus est, ut promereri quis possit Deum : præceptis ejus, et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem ». Item in serm. de eleemosyna, extremo : Si, inquit, expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes, dies nos vel redditionis, vel persecutionis invenerit ; nusquam Dominus meritis nostris ad prœmium deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit. « Vide eundem lib. II. epist. 4. lib. III. cap. 25. lib. IV. epist. 6 et 8.

S. Hilarius can. 5. in Matth. « Regnum, inquit, Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus. Et hæc recte, perfecteque viventium merces est, ut in novam, cœlestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur, et corruptio terrena cœlesti incorru-

ptione mutetur ». Et can. VI. « De nostro, inquit, est beata illa æternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio ».

S. Ambrosius lib. I. de officiis, cap. 15. « Nonne, inquit, evidens est meritorum, aut præmia, aut supplicia post mortem manere ? Vide eundem in epist. 81. ad Siricium lib. II. de Caia, cap. 9 lib. de Noe, et arca, cap. 7. in Psal. CXVIII. serm. 7. et lib. VII. in Luc. in illud : « Nonne duo passeret, etc. »

S. Hieronymus lib. II. adversus Jovinianum non procul a fine : « Denarius, inquit, quasi indulgentia veri Principis omnes per Baptismum emittit de carcere. Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum, diversa nobis præmia præparare ».

Sanctus Paulinus in epist. ad Victricium : « Tuarum, inquit, tibi præmia se debere virtutum, judex justus agnoscat ».

S. Augustinus in epist. 105. ad Sixtum : « Nullane, inquit, sunt merita justorum ? sunt plane, quia justus sunt. Sed ut justus fierent, merita non fuerunt ». Et infra : « Sicut merito peccati, tamquam stipendium, redditur mors, ita merito justitiæ, tamquam stipendium, vita æterna ». Idem in lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 25 : « Vita, inquit, æterna est totum prœmium, cujus promissione gaudemus. Nec prœmium potest præcedere merita, et prius homini dari, quam dignus est. Quid enim hoc est injustius, et quid justius Deo ? non ergo debemus poscere prœmium, antequam mereamur accipere ».

Hic sanctus Augustinus non solum docet, hominem habere merita vitæ æternæ, sed etiam unum, et totum esse prœmium nostrum vitam æternam, contra sententiam adversariorum, qui finxerunt varia præmia in hac vita, et in futura, ut eluderent testimonia, quæ loquuntur de meritis, ac ne cogerentur admittere, bona opera esse præmia vitæ æternæ. Item docet hoc loco sanctus Augustinus, meritis operum ex justitia dari prœmium vitæ æternæ, ne forte dicerent, dari quidem, sed ex mera liberalitate. Item addit, non dari nisi prius ea digni inveniantur, qui illam habituri sunt, ne dicant, nullam esse in operibus dignitatem. Denique dicit, injustissimum esse petere a Deo justissimo judice vitam æternam, antequam eam merearis accipere, ubi aperte damnat omnes Lutheranos, qui vitam æternam operibus mereri non volunt, et tamen eam sibi certissima fide dandam esse præsumunt. Vide eundem Augustinum in Psal. 83. 93. 100.

Item in epist. 46. 47. 52. In enchir. cap. 106. et 107. libro de natura et gratia, cap. 2. de correptione et gratia, cap. 13. de gratia et libero arbitrio, cap. 4. et seq.

S. Prosper in responsione ad cap. 6. Galorum : « Justificatus, inquit, homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirit et meritum ». Idem habet in lib. II. de vocatione gentium, cap. 8. et in Psalm. CXXV. in ultimis verbis.

S. Coelestinus Papa in epistol. ad Gallos, cap. 12. « Tanta, inquit, erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona ; atque pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus ».

S. Gregorius lib. IV. Moral. cap. 42. « Quia, inquit, in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione trascendat ». Vide eundem lib. XVIII. Moral. cap. 24. et lib. XXV. cap. 1.

S. Bernardus serm. 68. in Cant. « Merita, inquit, habere cures, habita data noveris. Perniciosa paupertas, penuria meritorum ». Et serm. 81. Item in Cant. « Omne, inquit, quod feceris, bonum, malumve, quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum deputatur ».

His addi possunt testimonia Conciliorum. Nam in Concilio Arausicano can. 18. sic legimus : « Debetur merces bonis operibus, si fiant ; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant ».

Concilium Lateranense Oecumenicum, sub Innocentio III. ut habetur in cap. Firmiter, de Summa Trinit. Et fide Catholica : « Non solum, inquit, Virgines, et continentes, verum etiam conjugatæ per rectam fidem, et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

Concilium Florentinum item Oecumenicum, in decreto de purgatorio, docet, animas, quæ nihil experiendum habent, in cœlum mox recipi, Deumque videre pro meritorum diversitate, aliam alia clarius, atque perfectius. Nihil igitur novi, sed fidem antiquam docuit Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. et can. 26. et 32. ubi merita justorum asseruit.

Accedat ultimo ratio evidens ex iis, quæ probata sunt in libro superiore. Demonstrat-

tum est enim, opera bona justorum esse vere justa, satisfacere legi divinæ, justificare hominem. Hinc autem sequitur, esse vere meritoria. Potissima enim ratio, cur hæretici hujus temporis merita negent, illa est, quoniam existimant, nullum esse opus in hac vita vere justum, et quod legi satisfaciat, sed esse omnia opera nostra peccata mortalia ex natura sua, et solum propter Domini indulgentiam venialia.

CAPUT V.

Solvuntur objectiones ex Scripturis, contra merita operum bonorum.

Argumenta adversariorum magna ex parte soluta sunt in libro superiore extremo. Si quidem illa omnia, quæ adferuntur ad probandum, omnia justorum opera esse peccata, adferri solent etiam ad probandum, nulla esse vera merita salutis æternæ. Solum igitur hoc loco eas tantum objectiones, quæ proprie contra merita pugnare videntur.

Primum ex divinis litteris objiciunt illud Psalmi centesimi secundi : *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.* Item ; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Jacob. II. *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam* (1). Hæc enim, et alia similia loca testantur, ipsam etiam coronam gloriæ, et beatitudinem cœlestem dandam esse sanctis hominibus ex misericordia, non ex justitia, ac per hoc non reddi proprie meritis, sed gratis dari.

Respondeo : S. Augustinus hæc loca diligenter expendit tum in epist. 105. tum in libro de corrept. et gratia, cap. 13. Duas autem indicat expositiones. Una est, quod beatitudo tribuatur misericordiæ, non quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa ex misericordia data sunt. Non enim potest opera meritoria facere homo, nisi prius justificatus. Justificatur autem non ex operibus, sed ex gratia et misericordia. Quare solet etiam Augustinus ita distinguere, ut dicat, ipsi justitiæ vitam æternam esse mercedem, non gratiam, ipsi autem homini esse gratiam, non mercedem, quoniam homini justitia gratia est. Eandem explicationem sequitur sanctus Gregorius in Psalm. VII. pœ-

(1) Psal. CII, 4; Math. V, 7; Jacob. II, 13.